



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

§. 7. Patres Nicæni convnientissimè & sapientissimè Sympolo suo
addiderunt vocabulum Omousion.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Arii condemnationi nolent subscribere, à Synodo excommunicatos fuisse & abdicatos. *Resp. 2.* Hieronymum id de Ario & duobus ejus discipulis asserere, ex relatione aliorum, qui decepti, ipsum deceperunt; non ex Synodi Actis, in quibus, non Arii & sociorum ejus, sed Eusebii utriusque, Nicomedienfis ac Casariensis, & Theognidis nomina legisse se affirmat.

Denique præfatus libellus falsitatis convincitur multis ex capitulis. Nam 1. Socrates scribit, Eusebium & Theognin, penitentiae libello ad præcipuos Episcopos misso, Imperatoris jussu ab exilio revocatos, Ecclesias suas recepisse, iis, qui in ipsorum locum ordinati fuerant, expulsis. At si præcipuorum Episcoporum consilio Eusebius & Theognis ab exilio revocati sunt, si Episcopali judicio in integrum restituti, Ecclesias suas receperunt, quomodo etiam post annum 335. adhuc pro depositis & exauctoratis habebantur ab Episcopis orthodoxis? Habebantur autem, ut patet ex verbis Synodice Alexandrini Concilii epistolæ supra relatis, 2. Eusebius & Theognis in libello dicunt Arium jam revocatum ab Episcopis orthodoxis, se ipsum apud illos de iis, de quibus accusabatur, purgasse, *Si in conspectum vestrum nos venire patiamini, invenietis nos in omnibus concordēs, & decretis vestris mordicus inhaerentes: quando & cum ipsum, qui ob ista accusabatur, placuit reverentia vestra humaniter tractare, & ab exilio revocare.* Porro absurdum fuerit, cum is, qui reus esse videbatur, revocatus sit, sequi de illis, quæ ipsi obiciebantur, purgaverit, nos silere, & argumentum adversus nosmetipsos suppeditare. At Arius ab orthodoxis Episcopis nunquam ab exilio revocatus est, nunquam ab illis ad se purgandum admissus, nunquam ab illis ut orthodoxus susceptus, ut manifestum est ex facto B. Alexandri, Constantinopolitani Episcopi.

Præterea, si Arius ab orthodoxis Episcopis susceptus est, antequam ab exilio revocarentur Eusebius & Theognis, vel hoc contigit in ipsa Synodo Nicæna, vel aliquantò post. Non primum, ut patet ex synodica ad Alexandrinos epistola, quam absoluta Synodo scriptam fuisse, & S. Alexandro Alexandriam redeunti traditam, supra probatum est. Non secundum. Nam si aliquantò post Synodum Nicænam revocatus & susceptus est Arius, antequam Eusebius & Theognis revocarentur, quare, Eusebio ab exilio reverso, Arium cum Imperatoris & ipsius Eusebii litteris Alexandriam venientem constanter rejecit Athanasius, non solum ut hæresis inventorem, sed etiam ut hominem ab universi Orbis Concilio damnatum, nec ullis precibus minime adduci potuit, ut eum in communionem suam admitteret? Quapropter, inquit Athanasius, primum ad nos litteras hortatorias scribit de Ario recipiendo, sed ita ut sine scripto minaretur, scriptis autem speciem rogantis præferret. Verum ubi illi responsum esset, hæreseos inventores veritati infestos, & damnatos ab universi Orbis Concilio, minime recipiendos esse; Cæsarem beatæ memoriæ Constantinum inducit, ut mihi cum minis scriberet, ea nos expectare debere, quæ & nunc & antea passi sumus, nisi Arium reciperem... hic cum ego Cæsari persuasissem, nullam esse debere Ecclesie Catholice cum hæresi Christi oppugnatrice communionem, tum demum tempus obvenisse arbitratus Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, litteras ad eos scribit, ut scelera ea de nobis fingerent, quibus se adversus Petrum, Achilam, & Alexandrum exacerant. Hæc autem omnia post Eusebii ab exilio reditum, & paucis ante Tyrium Conciliabulum annis, omnibus exploratum est contigisse.

Lib. 1. c. 27.

Quid plura? ut narrat ipse Socrates, non ab Episcopis, sed ab Imperatore, opera Presbyteri illius Ariani, qui se primum in Constantiæ, deinde in Constantini familiaritatem insinuarat, ab exilio revocatus est, & Alexandriam redire permittitur, ut ibi communioni ecclesiasticæ restitueretur. Quod facere constanter renuit Athanasius. Unde Eusebius occasionem

sumpsit, ea in Athanasium per Meletianos fingendi crimina, propter quæ in Tyrio conventu ab Eusebianis depositus est. Imò ipsimet Eusebiani cum Ario non ante communicarunt palam, quam anno 335. in Conventu Constantinopolitano, ubi prævalente Eusebianorum factione, in Ecclesiam admissus est. Quo non obstante, anno sequenti S. Alexander Constantinopolitanus noluit cum eo communicare. Prædie autem, quàm ab Eusebianis per vim in Ecclesiam inducendus erat, turpissima morte extinctus est, ut jam narravimus. Falsum igitur est, quoddam Arius ab Episcopis orthodoxis humaniter unquam tractatus fuerit, quod ab illis ab exilio revocatus fuerit, & quod sese apud illos de iis, de quibus accusabatur, purgaverit; proindeque libellus penitentiae Eusebio & Theognidi adscriptus, tanquam spurcius & supposititius expellendus est.

Nec fidem ullam meretur Rufinus, mediocris auctoritatis historicus, cum ait l. 1. hist. cap. 11, *Tantum fuisse Concilii moderationem, ut non in personam ejus (Arii) sed in dogmatum pravitatem fuerit lata sententia.* Nam hoc manifestè repugnat Athanasio, & Synodi ad Alexandrinos epistola. Præterea, contrarium ipse dicit cap. 5. ubi scribit septemdecim tantum Episcopos fuisse in Concilio, quibus Arii fides magis placeret, & ex illis solum sex cum Ario se passos esse expelli; reliquos verò undecim, consilio inter se habito, acquievisse ad subscribendum manu sola, non mente.

S. VII.

Patres Nicæni convenientissime & sapientissime Symbolo suo addiderunt vocabulum *Omoion*.

Prob. Illud vocabulum convenientissime & sapientissime à Nicænis Patribus additum est, quo hæreses omnes contra Filium Dei excogitata ita profigantur, ut nullus hæreticis tergiverfandi, vel evadendi locus supersit. Atqui tale est vocabulum *Omoion*. Ergo, &c. Maj. pater. *Prob. min.* Nam vocabulum *Omoion* ex æquo Sabellianismum & Arianismum penitus evertit. 1. Evertit Sabellianismum: nam nihil sibi *omoion* esse, vel dici potest: quidquid enim *omoion* est, alteri *omoion* est, quia *omoion* idem est ac ejusdem substantiæ; & quod ejusdem substantiæ est, non secum, sed cum altero ejusdem substantiæ est. Ergo *Omoion* significat personarum distinctionem; & Patres Nicæni dicendo Filium *omoion*, seu consubstantialem Patri, aliam Patris, & aliam Filii personam esse definiunt.

2. Vocabulum *Omoion* evertit Arianismum: nam si Filius est *omoios* Patri, Filius est verè & propriè Filius Patris, & Pater est verè & propriè Pater Filii; Filius non factus, sed verè & propriè genitus est à Patre; Filius non est ex non extantibus, sed est verè & propriè de substantia Patris; falsum est, quoddam erat, quando non erat Filius, & quoddam antequam gigneretur, non erat, sed æternus est, & Patri coæternus; Filius non est creatura, sed Deus verus de Deo vero; Filius non est conversioni vel mutationi obnoxius, sed immutabilis eadem immutabilitate, qua Pater; sicut & æternus, omnipotens, justus, misericors, bonus, &c. eadem, qua Pater, æternitate, omnipotentia, justitia, misericordia, bonitate, &c. Nam si Filius est *omoios* Patri, seu ejusdem essentia, substantia, & naturæ cum Patre, vel multiplex est numero divinitas, & sic plures sunt Dii, quod implicat; vel una est Patris & Filii divinitas, & consequenter una est Patris & Filii immutabilitas, æternitas, immensitas, omnipotentia, justitia, &c. Nam si una & eadem numero divinitas communis est Patri & Filio, attributa omnia, quæ per se ipsam est divinitas illa, Patri & Filio communia esse necesse est.

Sic argumentatur S. Basilus epist. 300. ubi sic ait: *Quia ex non ente ad esse productum fuisse Filium, etiam tunc nonnulli (Ariani) asseverabant, hanc ut abscinderent impietatem illi Patres (Nicæni,) nomen omoios*

omousii usurparunt. . . . Filium omousion dixerunt non incongrue, ut natura aequalitatem demonstrent. Non enim quae ad invicem sunt cognata, sunt ad invicem consubstantialia. . . . sed cum cum & causa & causante ejusdem per omnia naturae sunt participes. Vox ista & Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypostasios identitatem, perfectamque personarum intelligentiam inducit. Non enim idem sibi ipsi consubstantialis est, sed alterum alteri. Proinde recte ac religiose admodum usurpatur, cum & hypostasios proprietatem discernat, & natura sine ulla diversitate communionem exprimat. Et S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. Hoc verbum (omousion) in tractatu fidei posuerunt Patres (Niceni) quod id viderunt adversariis esse formidini, ut tanquam evaginato ab ipsis gladio (nam in quadam sua epistola, in Concilio lecta, scripserat Eusebius Nicomediensis: Si verum Dei Filium & increatum dicimus, omousion incipimus confiteri) ipsorum nefanda caput haereseos amputarent. Frustra autem verbum istud propter Sabellianum declinare se dicunt, & in eo suam impietatem produnt: omousion enim aliud alii, non ipsum est sibi. Recte igitur omousion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio, & naturae unitas significatur.

Præterea, quam appositè ad stabiliendam veritatem Catholicam, & Arianam hæresim conterendam Patres Niceni vocabulum omousion adhibuerint, demonstratur, 1. ex odio, quo Arianum vocabulum hoc prosequerantur, & quod sanctus Epiphanius eleganter hæres. 69. num. 70. exprimit his verbis: Ut serpens bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis suffumum, aut styracis fumum; sic Arius & Sabellius Consubstantialis vocem illam, ac professionem vehementer oderunt. 2. Ex eo quod Arianum ad proferendum hoc vocabulum, & abolendam Niceni Symboli memoriam nullum non moverunt lapidem. Et verò quod ad hunc finem egerunt Synodos: quot formulas fidei ediderunt? quanta obstinatione & crudelitate vexarunt orthodoxos, quos per contemptum Omousianos vocabant? Hac nimirum una voce admissa, de sua hæresi actum esse intelligebant, atque de ea propaganda desperabant, quando Filius omousios Patri crederetur. Hanc igitur vocem abolitam esse volebant, ut hominibus persuadere possent Filium Dei non esse propriè de substantia Patris, & creaturam esse, atque mutabilem, & convertibilem. Quæ causa, inquit Gregorius Nazianzenus, quæve ratio exiit, ut quod docendum, quod credendum cunctis Ecclesiis fuerat traditum, quodque Patres nostri apostolici viri contra universas hæreses, vel maxime Arianam, quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, S. Spiritu, catholica ratione posuerunt (nempe quod Filius sit Patri consubstantialis) nunc magno nisu ab his, qui nunc elogio Arianae labis additi sunt, laboretur auferri, nisi ut Filium Dei mutabilem & convertibilem, ut propriè non propria Patris substantia constituisse consingant?

Hinc inter orthodoxos Episcopos sanctissimi quique & præstantissimi tormenta, exilium, mortem subire maluerunt, quam in usæ & homousii proserptionem consentire. Quod pertinet illud S. Gregorii Nazianzeni eodem loco: Si diligentius & accuratius attendatis, cur noluerunt de evangelica & apostolica fide, ac eque Patrum traditione, unius essentiae nomen auferre: proculdubio probatis Arianam hæresim subtili compendio, brevi jam sublato hoc nomine intromissam. Quod si qui pro humana fragilitate, ut Arimini contigit, subscipere tandem harum vocum suppressionem, brevi postea facti poenitentes, quæ per fraudem vel vim ab eis extorta fuerant, publicè retractarunt, & majori, quam antea, Arianae impietatis odio flagrant, ad publicam usæ & homousii professionem redierunt: ut patet ex Gallicanis Episcopis in Concilio Parisiensi post Ariminensem conventum celebrato, ex quo ad Orientales referriunt in hunc modum: Plures monero, qui aut Arimini aut Nicææ Simonnet Theol. Tom. I.

(in Thracia) adsuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad usæ silentium sunt coacti. Quod verbum à vobis quondam contra Ariomanitarum hæresim inventum, à nobis semper sanctè fideliterque susceptum est. Nam homousion sermonem ad veram & legitimam ex Deo Patre unigeniti Dei nativitatem sumus amplexi, de testantes secundum Sabellii blasphemias ipsam unionem (hoc est, personarum confusionem,) neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes. . . . Hanc igitur fidem semper tenentes, & tenebimus, de testantes quoque eos, qui dicunt: Non erat antequam nasceretur.

§. VIII.

Obj. 1. Vocabulum omousion non reperitur in Sacra Scriptura. Ergo Patres Niceni perperam illud usurparunt. Resp. 1. cum S. Athanasio: Nihil id refert, si quis voces in Scriptura non repertas usurpet, quandoque pias sententias complectitur: contra, hæreticus, tametsi voces suas è Sacris Litteris mutuatur, nihilominus suspectus, animoque corruptus audiet à Spiritu S. Quare tu enarras justificationes meas, & affirmis testamentum meum per os tuum? Ita quoque Diabolus, è Scripturis loquens, os à Domino obtinuit. Contra, beatus Paulus, etsi ex alienis litteris loquatur, Cretenses semper mendaces, & illud, Et ipsius genus sumus. . . . tamen sanctus cum sit, pium animum gerit, & Christi mentem tenens, Magister Gentium est in fide & veritate, & quæ loquitur, cum pietate loquitur.

Resp. 2. Arianos, quorum hæc est obiectio, sicut & alia quæ proponuntur, non reprehendere Arium, quod multa adhibuerit vocabula, quæ sanè in Sacris Litteris minime reperit: quare ergo Nicenam Synodum reprehendunt? Imò ipsimet, parùm consentientes secum, multas voces usurpant, quæ non leguntur in Scriptura, & ita ipsimet, quod faciunt: reprehendunt. Si efficienda putant, inquit Athanasius, verba in Sacris Litteris non obvia, cur Ario tantum acerbum diffonium, quas nusquam in Scripturis reperias, accumulante, quales sunt, Ex non entibus, & Non erat Filius priusquam gigneretur, & Erat quando non erat, & Convertibilis est, & ineffabilis est, & invisibilis Pater suo Filio, & Filius non novit ne suam quidem substantiam, & quæcumque istiusmodi, in ridiculo suo & impio libello de sua sententia ab illo evomuntur, non contradicunt? sed potius pro iis pugnant, & ob ea cum Patribus suis belligerantur? Aut ubi denique ipsi in sacris libris repererunt vocem ingenitum? aut usæ nomen, & illud tres esse hypostasies, &c. Oportuit eos aut sibi ipsis obtemperare, aut nihil Patres incusare.

Resp. 3. Vocabulum hoc Omousion non reperiri in Scriptura, quantum ad numerum syllabarum, sed, quod omnino sufficit, reperiri quantum ad sensum. Cognoscat, inquit Athanasius, quisquis est studiosioris animi, hæc voces, tametsi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam sententiam, quam Scriptura volunt, & hoc ipsum eas sonare apud illos, quibus aures ad pietatem sunt integre, & minime vitiate. Et verò cum Pater ait Filio: Filius meus es tu: ego hodie genui te, Psalm. 2. & Ex uero ante luciferum genui te, Psalm. 109. item cum dicitur Joan. cap. 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. . . . Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, & cap. 3. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret: apertè significatur Filium esse verè & propriè Filium Patris, & Patrem esse verè & propriè Patrem Filii; Filium non esse opus seu creaturam, sed genuinum Patris fœtum; processionem Filii à Patre non esse conditionem seu creationem, sed veram & propriè dictam Filii ex Patre nativitatem: unde apertè significatur Filium esse de substantia Patris, proindeque eandem cum Patre substantiam habere, eandem, inquam, vel specie, vel numero: non eandem specie; alioqui multiplex esset

N 2 numero

Apud Iulian. liag. 11.

Lib. de Syn.

Ibid.

Lib. de decretis Syn. Nic.